

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Urkunden und Akten der Stadt Strassburg**

Urkunden und Stadtrechte bis zum Jahr 1266

**Wiegand, Wilhelm**

**Straßburg, 1879**

1242

[urn:nbn:de:bsz:31-326693](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-326693)

valeat oriri, presentes litteras sibi contulimus sigillo capituli nostri munimine roboratas. acta anno domini 1242, 2 nonas februarii.

*B aus Straßb. Bez.-A. G fasc. 3463 nr. 201 Copialbuch des Domstifts von einer Hand des ausgehenden 16ten Jahrh. geschrieben.*

5 *Gedruckt nach dem lib. sal. 1347 bei Grandidier Oeuv. inéd. III, 358 nr. 390.*

278. *Sigelin der Schultheiß und die Gemeinde von Oberehenheim beurkunden eine Ackerschenkung Irmentruds, der Wittwe ihres Milbürgers Peregrin Locus, an ihre in das Straßburger St. Agneskloster getretene Tochter Uthicha. 1242 März 25.*

*Sigelinus* scultetus de Oberehenheim et ejusdem loci civium universitas omnibus  
 10 hoc instrumentum publicum inspecturis salutem in perpetuum. noverint universi  
 presentes et futuri, quod Irmendruds vidua et relicta Peregrini dicti Loci quondam  
 civis filie sue Uthiche, que apud cenobium sancte Agnetis in Argentina<sup>1</sup> religionis  
 habitum et consortium suscepit, de consensu filiorum et heredum suorum Wolfhelmi,  
 Sifridi, Peregrini fratrum Uthiche memorate agros decem viniferos in hiis locis  
 15 sitos: curiam cum agro et dimidio in Oberhehenheim, apud locum, qui dicitur  
 Birbome, agrum, item Steinfurte tres agros, item agrum Lutoldi, item Cristanehus  
 agrum, item apud Sericesmaten duos agros et dimidium cenobio et conventui sancte  
 Agnetis memorate in proprietatem omnimodam et tres agros censuales in Gertewilre  
 cum omni jure agrorum predictorum coram nobis contulit, tradidit et donavit. et  
 20 hec litteris presentibus confitemur et publice protestamur. quare ut omnia premissa  
 debitam et inconvulsam firmitatem obtineant, presens instrumentum exinde, ut  
 dictum est, confectum sigillo civitatis nostre rogatu partium fecimus sollempniter  
 communiri. acta sunt hec anno domini 1242, 8 kalendas aprilis, presentibus  
 25 hiis: scilicet fratre Petro suppriore Argentinensi et fratre Conrado de Mollesheim,  
 Salomone sacerdote supradicti cenobii, Sigelino sculteto de Ehenheim, Hugone milite,  
 Aleberto milite de Bischoveheim, Gozmaro milite, Heinrico precone, comite de  
 Halde et aliis quam pluribus.

*B aus Straßb. Bez.-A. H fasc. 3098 or. mb. c. sig. pend. Gut erhaltenes Siegel der Stadt Oberehenheim.*

30 279. *Der Straßburger Domscholasticus Konrad von Wasserstelz schlichtet einen Streit zwischen dem Straßburger St. Elisabethkloster und dem Ritter Dietrich von Epfig, die Erbsfolge seiner Enkelin Christine, die in dies Kloster eingetreten, betreffend. 1242 August 14 Straßburg.*

C[onradus] dictus de Wazerstelz majoris ecclesie Argentinensis scolasticus uni-  
 35 versis hoc scriptum inspecturis rei subscripte fidem adhibere. ne lapsu temporis

<sup>1</sup> Königshofen setzt den Bau des St. Agnesklosters erst in das Jahr 1248. Vergl. D. St-Chron. IX, 740.

veritas occultetur, noverint tam presentes quam futuri, quod, cum Christina filia  
 B[urchardi] militis de Truhtersheim ad annos nobiles pervenisset, zelum dei mente  
 concipiens celestem sponsum terreno preferre decrevit et voto castitatis emisso ad  
 monasterium sancte Elizabeth situm in Argentina cum bonis matris sue jam  
 defuncte et cum bonis avi sui Detrici militis de Apiaca, que in donationem propter  
 nuptias avie sue dicebat quondam assignata fuisse<sup>1</sup>, quibus bonis omnibus, si in  
 seculo remansisset, succedere debuerat, de voluntate dicti patris sui se duxit  
 transferendam et transtulit. cui donationi prefatus Dietricus avus premissae puelle se  
 opponens bona sic donata ad se ipsum potius quam ad puellam pertinere firmiter  
 asserebat. cum autem inter prelibatum monasterium, cui jus in dictis bonis ex  
 donatione legali jam erat adquisitum, ex parte una et prenomiatum Dietricum  
 militem aliquamdiu questio verteretur ex altera, tandem ex utraque parte in me  
 scolasticum finaliter fuit compromissum. vallato itaque arbitrio secundum juris fulci-  
 mentum, ad habundantius consilium assumptis hiis viris discretis: Erberhardo et  
 Rüdolfo dictis Scholzenbolz, Heinrico, Diethero de Apiaca, Ortliebo de Rubiaca  
 militibus, Wernhero diacono de Sunthoven, dictam questionem in hunc modum  
 duxi sopiendam et sopivi: videlicet quod sepefatus Dietricus miles bona sua, que  
 in donationem propter nuptias uxori sue quondam avie dicte Christine assignarat,  
 libere de cetero retinebit et absolute et insuper bona in sancto Yppolito sita, super  
 quibus questio vertebatur, hereditario jure libere possidebit; bona vero in Ersteim  
 sita, super quibus similiter questio vertebatur, apud monasterium prelibatum per-  
 petuo remanebunt, cum hac tamen distinctione, quod dictus miles in eisdem bonis  
 de Ersteim, que hactenus in sua tenuit potestate, deinceps usufructum saltem usque  
 ad terminum sue vite percipiet et post ejus decessum eadem bona demum ad  
 monasterium libere revertentur. hiis itaque de parciis assensu, ut prelibatum est,  
 legitime consumatis, ad amplioris roboris firmitatem et ad cautelam futurorum  
 partes utraque ad dominum A[rnoldum] majorem prepositum, qui vicem domini  
 episcopi gerebat in judiciis, personaliter accesserunt et in ejus presentia confite-  
 bantur expresse premissam compositionem se ratam et gratam in perpetuum habi-  
 turos. insuper Richardus filius dicti Dietrici premissis omnibus consensit expresse.  
 ut autem ea, que premissa sunt, magis firma remanerent et autentica, presens  
 scriptum ad instantiam parciis premissarum venerabilis domini nostri B[ertholdi]  
 Argentinensis episcopi necnon predicti domini A[rnoldi] majoris prepositi et meo  
 sigillis fuit communitum. actum Argentine anno domini 1242, 19 kalendas  
 septembris, presentibus hiis: domino Eberhardo de Entringen canonico Argenti-  
 nensi, Cûnrado Virnecorn, Reinboldo filio suo seniore, Erbone filio domini Erbonis,  
 Gozelino, domino Erbelino magistro et aliis quam pluribus.

*H aus Straßb. Hosp. A. lad. 90 fasc. 1 or. mb. c. 3 sig. pend.*

<sup>1</sup> *Cfr. nr. 204.*